



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXXII. De Novi Operis Nvntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

tra naturam incontinentes peccant, vel de peccatis suis g. oriantur, vel Episcopus suos per prerogativam superiores agnoscere non volunt. Ita in c. Dilata 14. Clerici objurgantur, qui contra voluntatem superioris collegium seu corpus constituebant, communi sigillo utentes. Sed quia longum foret singula subditorum delicta referre, illud tantum addemus, quod ordinarius Ju-

dex eadem pro qualitate semper punire debeat, idque pro arbitrio, ubi poena legis non est certa, c. Licet 12. cum cap. seq. sup. De officio jud. ordin. etiam si exempti sint, id est, immediate jurisdictioni Pontificis subiecti, quo casu ordinarius tamquam Sedis Apostolicae delegatus vitia ipsorum reprimet Concil. Trident. c. Ecclesiarum Pralati & c. seq. Sess. 6. de reform.

IN TIT. XXXII. DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

Canil. lib. II, tit. 22. §. 5.

SUMMARIA.

1. Nuntiatio novi operis quid.
2. Eius effectus.

Quamquam Episcopus & quilibet Prælatus conditionem Ecclesie possit facere meliorem, ut ait textus in cap. Fraternalitatem sup. De donationib. quia tamen rerum Ecclesie, ut ibidem habetur, procurator est, non dominus, tum alibi, tum in construendis ædificiis cavere debet, ne sub prætextu meliorationis damnum inferat, aut pristinam ædificii faciem mutando modum excedat; hoc enim si facere incipiat, Clerus seu Ecclesia novum opus ipsi nuntiabit, id est, nuntiabit, ut cesset ædificare. Nihil enim aliud est nuntiatio novi operis, quam prohibitio ædificandi, ab eo, qui probabiliter jus suum privatum vel publicum lædi putat, solemniter facta, eo sine, ut desistat ab opere, saltem tantisper, donec jus ædificand. fuerit discussum, id est, judicatum, an jure, an injuriæ ædificet, l. 1. & 4. D. eod. Post quam

denuntiationem (quæ secundum leges & per jactum lapilli & per verbalem interpellationem etiam fieri potest, l. De pupillo §. meminisse D. eod.) solemniter factam, id est, publicâ Judicis auctoritate, si ab incepto opere non desistat, quidquid deinceps extruxerit suis sumptibus cogitur destruere, etiam si deprehendatur postmodum, quod jure suo ædificaverit.

Sed & è contrario ne temerariâ cujusque contradictione opus suspendatur, jubetur ipse denuntians spatio trium mensium injuriam sibi vel Reip. per novum opus illatam vel inferendam probare, l. unica C. eod. c. 1. & ult. hoc tit. Alioqui si plus temporis petat, poterit ædificans, præstita cautione pro sumptibus ad opus demolendum necessarius, casu quo non jure inchoatum deprehendatur, audacter pergere sine prædicta poena demolitionis, d. l. unica & cap. Significantibus 3. hoc tit. Quam poenam sine cautione incurrit, partim quia pertinax fuit, dum Judici noluit obedire, partim quia turbavit viciniam, quod est noxium Reipublicæ.

IN TIT. XXXIII. DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBVS PRIVILEGIATORVM.

SUMMARIA.

1. Privilegium quid.
2. Concessio privilegii à jure exorbitantis quomodo justa
3. Privilegium extra concessionis limites extendi non debet.
4. Ratio concessi privilegii in primis inspicienda & ponderanda.

5. Privilegium quis concedat.
6. Privilegium quotuplex.
7. Privilegium persona quid.
8. Privilegium causa.
9. Rei.
10. Quanam legitimè reddant privilegium.
11. Qui & ex quibus causis delinquere dicantur circa privilegia.

12. Pri-